eandem, qvi iſtius ſunt partis, ut Eccleſia ſpolietur præda donisqve per Chriſti meritum acqviſitis, & Myſteria orbentur patrocinio ſimul ac valore.

In Confeſſum iſtud veniet ex Themate Noſtro, docente, qvod *Regenitis proſit freqvens Sancta Synaxeos iteratio, qvia Remiſſionem peccatorum offert atqve confert, & confirmat ac obſignat.*

Faxit autem in omnibus Salvator noſter Jeſus Chriſtus, ut Sacramentum maneat ſanctum & inviolabile. Amen!

TRACTATIO.

PRobans Sacramentum Altaris ipſis etiam *Regenitis & in ſtatu gratiæ* manentibus iterandum.

Qvia datur in Remiſſionem Peccatorum.

§. I. Citra ambages primum ſtatim ſectamur Thematis noſtri Argumentum, qvod ſc. Sacra Cœna ipſis etiam Regenitis ſit iteranda, *qvia datur in Remiſſionem peccatorum.* Claris hoc docetur verbis ex *Luc. XXII.* 19. & 20. ubi de *corpore & ſangvine* Chriſti dicitur, qvod *detur & effundatur* ὑπὲρ ἡμῶν. Et Mathæus expresſis Myſterium hoc illuſtrat verbis ſcribens Cap. XXVI. 28.

Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς Διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

B. Seb. Schmidius vertit:

Hoc enim eſt Sangvis meus, ille Novi Teſtamenti, qvi pro multis effunditur in Remiſſionem Peccatorum.

§. 2. Moram non dabit diverſa Lectio, qvando aliqva hic Exemplaria loco περὶ πολλῶν habent: ὑπὲρ πολλῶν & unum aliqvot pro ἐκχυνόμενον ἐκχυθησόμενον. Variatio enim Lectionum qvoad pauca Exemplaria corruptionem totius Codicis nunqvam inferet. Legatur Pfeifferus *Theſauro Hermenevt. p.* [illegible] & Majus *Exam. Hiſt. Critica N. T. Cap. XXIX. pag.* [illegible] *Edit. in*